

Anthony. Cui proxima est *Anthony* memoranda propter suam elegantiam, & piscinam quæ Oceanum admittit, piscesque marinos in usum & voluptatem præbet, sed multo magis propter Dominum suum Richardum *Carew*, qui ita locum à majoribus traditum tuetur, ut virtutum ornamentis exsuperet. Hactenus australem oram, nunc Septentrionalem obeamus.

Septentrionale littus ab ipso Belerio promontorio, primum longo tractu arenosis cumulis aggeratum procurrit ad opidum lingula quadam in mare prominens, *S. Iies* appellatum, iæ mulieri Hibernicæ, quæ singulari sanctitate hic vixit, hoc nomen acceptum ferens, olim *Pendinas*, subiectumque sinum, in quem *Haile* fluviolus influit, suo nomine adoptavit, qui nautis *S. Iies bay* vocatur. Opidum vero ipsum jam tenue est. Caurus enim hujus littoris tyrannus arenas converendo ita afflixit, ut subinde translatus fuerit. Hinc utrinque spatiosior procurrit in ortum regio, & obliquiore flexu Septentrionale littus in Aquilonem tendit ad *Padstow* usque, nec aliud antiquæ notæ tota via habet, quam in sabulo positum *S. Pirano* sacellum, qui sanctus etiam Hibernicus hic requiescit, cujus sanctitati infantia vani scriptoris affinxit quod decem Hiberniæ reges, & eorum exercitus tribus vaccis suis octo diebus aluerit, & porcellos mortuos, nec non homines fuscitaverit. Deinde longius à littore *S. Columbe* opidulum mercatorium sedet, *Columbæ* piissimæ mulieris & Martyris, non *Columbani* Scoti, memoriæ consecratum, ut jam certo ex ejus vita sum edoctus. Iuxta quod propius ad mare *Lanberon* cernitur, sedes equestris familiæ *Arondellii* magni, qui ob fortunam quas habuerunt amplissimas, *Arondellii magni* non ita pridem dicti sunt. De *Hirundine* alicubi Latine scribuntur, nec male, (si quid ego judico) *Hirundo* enim Gallice *Aronde* dicitur, & in nigro clypeo sex argenteis hirundinibus pro insignibus utuntur. Familia sane antiqua & celebris, propinquitatis & affinitatis ramis longe diffusa, ad cujus nomen, & insignia alludit *Guil. Brito*, Poëta, cum virum bellicosum ex hac involantem in Gallum circa annum *M C LXX*, sic describit,

Lib. 3
Philippidos
Guil. Britonis,
qui vixit
1170.

— *hirundela* velocior alite que dat

Hoc agnomen ei, fert cujus in agide signum :

Se rapit agminibus mediis, clypeoque nitenti

Quem sibi Guilielmus leva prætenderat ulna,

Immergit validam præacutæ cuspide hastam.

Parumque hinc abest duplex vallum in collis vertice, aggerque ad illud ducens, quod *Castellan Danis*, id est, *Danorum castra*, eo quod Dani cum Angliæ littora deprædarentur, ibi, ut aliis hoc tractu locis, sua castra habuerint.

Nec procul hinc Alan fl. qui & *Camb-alan*, & *Camel* à tortuoso meatu; (hoc enim *Cam* illis denotat) placide in superum mare defluit, qui ad suum ostium *Padstow* emporium habet, contracte pro *Petrockstow* (ut in Sanctorum historiis legitur) à *Petroco* quodam Britannico in Sanctos relato, qui hic Deo vacavit, cum ante à *Loderic*, & *Laffenac* vocaretur. Situm vero ad negotiandum in Hibernia, in quam *XXIII* horis facile navigatur, habet percommodum: magnoque sunt ornamento speciosæ ædes instar castel-

Padstow.

Castle Danis.

Lhanheron.
Aronde-
liorum
familia.

S. Columbs.

S. Iies.

li adjunctæ, quas nuper *N. Prideaux*, antiqui nominis & nobilitatis in hoc occiduo tractu extruxit. Ad hujus Alani fontes, *Camelford*, alicubi *Gaffelford*, viculus cernitur, *Kamblan* olim dictum judicat *Lelandus*, qui *Arthurum Hectorem* nostrum ibi cecidisse scribit. Fragmenta etenim (ut prodit ille) armorum, annuli, ænea equorum ornamenta, nonnunquam ab agricolis ibi eruuntur, fama que tot sæculis conservata insignem hoc loco stragem factam fuisse prædicat. Extant etiam versus, in nescio quo medii temporis Poëta de *Cambula* cruore effuso inundante, in prælio *Arthuri* contra *Mordredum*. Quos subicere non pigebit, cum *Musis* non omnino inventis scripti videantur.

Naturam *Cambala* fontis

Mutatam stupet esse sui, transcendit inundans

Sanguineus torrens ripas, & volvit in æquor

Corpora casorum, plures natate videres,

Et petere auxilium, quos undis vita reliquit.

Certe (ut hoc de *Arthuro* non negem) apud *Marianum*, *Britannos* & *Saxones*, anno instauratæ salutis 820, funesto prælio hic concurrisse legi, ut *Marti* sacer locus videatur. Et si verum sit, *Arthurum* hic cecidisse, idem littus illi fuit fatale, quod natale. Ad littus enim proximum sedet *Tindagium*, *Arthuri* illius magni incunabula, partim in exerta quasi lingula, partim insula quæ ponte olim conjuncta. *Tindagel* hodie appellant, nunc tantum splendida ruina, olim castrum magnificum, de quo quidam recens cecinit,

Est locus Abrini sinuoso littore ponti,

Rupe situs media, restus quem circuit æstus,

Fulminat hic late turrato vertice castrum,

Nomine Tindagium veteres dixere Corini.

Longum esset ex historia *Galfredi* hic declarare quomodo *Vtherus Pendragon* Rex Britannicæ uxorem *Gorlois* Principis *Cornwalliæ* in hoc castro deperierit, assumpta præstigiis magicis mariti specie, matronæ stuprum intulerit, & *Arthurum* illum suscepit. Satis sit si *Ioannis* nostri *Havillani* versibus utar,

— — — *facie dum falsus adulter*

Tindagel irrupit, nec amoris Pendragon æstum

Vincit, & omnificas Merlini consulit artes

Mentiturque ducis habitus, & rege latente,

Induit absentis præsentia Gorlois ora.

Fuit *Utherus Pendragon* iste princeps in quo rei militaris studia viguerunt, quique labentem patriam contra *Saxones* fortiter suffulit. An ab illo prodiit regium illud apud *Anglos* vexillum *Draconis* habens cum capite aureo effigiem, quod vicinis expertum, & *paganis* sub *Richardo* primo in *ultramarinis* gentibus terribile fuit, non affirmaverim. Acceptum potius à Romanis crediderim, qui diu *Aquila* usi sunt, postquam *Marius* lupi, *Minotauri*, *Equi*, &c. abdicasset signa, tandemque sub posterioribus Imperatoribus *Draconem* usurparunt. Unde *Claudianus*, *Hi picta Draconum colla levant*, & *Nemesianus*, *Signa micant, sinuatque truces levis auræ Dracones*. Regesque Occidentalium *Saxonum* *Draconem* in vexillis gestasse *Hovedenus* docet. De alio autem *Saxonum* vexillo quod *Beda* *Tufam* dixit, & *Reafan* *Danorum* nihil hic addam, ne longius à proposito abiisse videar.

In eadem deinde ora quæ minus fecunda, & sylvis

Tindagel.
Arthuri
locus natalis.

Architrenius.

Draco in
vexillis
Regum
Angliæ.
Gervasius
Tilburien-
sis.
vexilla.

Tufa vexillum.